accurate recenſentur in *Apologia A. C. p.* 278. & in *ſeqq.* prolixe ac ſolidè refelluntur.

Dubium Primum.

Enimverò Eccleſia R. non docet, quod vota mereantur remiſſionem peccatorum & juſtificationem; Jeſ. Dez, pag. 420. E. cum larvis luctamur & umbris.

Reſp. Utinam ita non doceret; nec unquam ita docuiſſet! *Quod docent Monachi, Monaſticam vitam mereri remiſſionem peccatorum & juſtificationem, Evangelicæ doctrinæ nihil adverſatur, imò ſacris literis undequaque conſonum eſt. quid enim eſt Monaſticen vivere, niſi caſtè, obedienter, abſtinenter, & in ſumma paupertate vivere, mente & ſpiritu, corpore*